Disputatio Iuridica De HEREDITATIBUS, QUÆ AB INTESTATO DEFERUNTUR,

Quam

divino fretus auxilio

in

Florentissimâ ac perillustri VVitebergensium Academiâ

SUB PRÆSIDIO

Clarissimi ac Consultissimi Viri

Dn. CHRISTIANI CREMBERGII

J. U. D.

Amicæ disquisitioni proponit

MICHAEL GRUNEBANDUS

Primislaviâ-Marchicus.

Habebitur disp. ad d. 28. Novemb. horis matutinis.

WITTEBERGÆ

Ex officina Typographica Johannis Gormanni.

ANNO M. DC. XVI.

CUM DEO

THESES

De hereditatibus, quæ ab intestato deferuntur.

I.

Continuationem hujus tituli habemus ex § *fin. Inst. per quas pers. nob. acquir.* ubi hereditatum duplicem esse conditionem Imperator statuit: nempe quod hereditas deferatur vel ex testamento, quæ TESTAMENTARIA, vel ab intestato, quæ propriè LEGITIMA nominatur, quoniam lex ipsa defert eam absque facto hominis. *Mjns. h. ad rub. l. 3. §. de illo. ff. pro socio. t. t. ff. & C. de leg. her. t. t. l. h. Nov. 118.*

II.

Quanquam & illa, quæ ex testamento provenit legitima possit dici latiore quodam sensu, *sec. gl. in d. §. de illo.* non tamen propriè *l. 130. lege obvenire ff de V. S.* quia non fit à lege, sed ab homine: lege tamen approbante instituti heredes ad successionem vocantur. *Sneid. h. ad rub. num. 15.*

III.

Et quoniam de testamentariâ, veluti ob solennia ordinationis digniore, superioribus aliquot disputationibus tractatum: jam de LEGITIMA SUCCESSIONE, hoc est, de hereditatibus quæ ab intestato deferuntur, subnectendum erit.

IV.

Successio igitur ab intestato est extra casum ultimæ voluntatis defuncti hereditatis acquisitio. *Vult. 1. Jurisp. Rom. 74. Treutl. disp. 16. p. 2. Arum. dis. Inst. th. 1.*

V.

Intestatus autem dicitur is, qui cum posset testamentum facere, testatus non est. *in pr. I. h. t.* aut qui fecit, non tamen jure fecit, *l. hac consultissima C. de test. l. 23. C. de fideicom. tt. I. de test. ord.* vel id quod fecit, ruptum irritumq; factum est. *tt. ff. de injust. rupt. irr. test. tt. I. quibus mod. test. infirm.* aut ex eo postea nullus heres extitit, *l. 1. ff. de suis & legit. l. 1. §. 1 ff. si tab. test. null. ext. ab. l. si nemo 141. ff. de R. I. videatur Sneid. h. t. ad Rub. num. 14 & Mynſ. in pr. I. h. t.*

VI.

Si quis ergo intestatus secundum hos prædictos modos decessit, legitimi heredes vocantur ad successionem defuncti, *Mynſ. in I. h. t. ad §. intestatorum. & Dd. comm.*

VII.

Quamvis verò olim ordo succedendi erat perplexus & varius: eum tamen Imperator jure novissimo mutavit, ut ex *Nov. 118.* tres successionis abintestato gradus haberemus. 1. descendentium, qui est liberorum, 2 ascendentium, qui est, parentum, 3. collateralium qui est, agnatorũ & cognatorũ.

VIII.

Quibus duo adhuc sucedendi ordines accedunt, nempe Conjugum viri scilicet & uxoris, *de quo tit. ff. & C. unde vir & uxor.* & successio Fisci, *Sneid. h. in I. Treutl. disp. 16. p. 2. th. 1. lit. f. & th. 6. Dd. hic. Comm.*

IX.

Priusquam v. ad personas succedentes perveniamus, paucis, quæ ab intestato succedere non possunt, videbimus. Hujus generis sunt rei criminis læsæ majestatis, qui offenderunt principem, *l. quisquis 5. C. ad L. Iul. maj.* Banniti vel deportati, *Bart. in l. 1. C. de her. inst.* quibus Matthæus Matthæsilanus *in tract. de suc. memb. 1. num. 48.* assimilat hodie proscriptos & in bannum imperij declaratos, qui ubiq; amittunt jura cõmunia; potissimùm si ab imperatore vel imperio sunt proscripti, *vulg. l. bene à Zenone. 3. C. de quod. præscript. de quibus vide Ioan. de Imol. in l. ex facto 17. §. ex facto 5 ff. ad SCtum. Trebell. & Dd. in l. 1. C. de hered. instit.* item nec heretici succedunt ab intestato, *c. excommunicavimus 13. §. damnati de hæret.* Ut nec alij: *de quibus videatur Nic. de Vbald. in tract. de succ. Rolandin. Passag. in tract. de succ.*

X. De

De singulis, qui ab intestato succedere possunt, ordine videbimus, & quidem 1. de descendentium id est liberorum, qui ordo, quoniam omnes alios antecellit, ità in successione primum locum obtinet. Donec n superʃunt liberi, reliqui sive ascendentes sive collaterales excluduntur. *Dd. hic.* Prima namq; causa est liberorum. *Nov. 118. auth. in successionem C. de suis & legit.* cum omnia, quæ nostra sunt, liberis nostris ex voto paramus. *l fin. ff. de bon. dam. & l. nihil interest. 50. §. sed nunquid. in fin. ff. de bon. liber.*

XI.

Præmittimus 2. Liberorum sex esse species, 1. filiorum spiritualium, 2. Naturalium & Legitimorum simul, 3. legitimorum tantum, id est, adoptivorum & arrogatorum. 4. Naturalium tantum, 5. Spuriorum vel vulgò quæsitorum. 6. Natorum ex coitu incestuoso & à jure civili damnato, *not. per gloss. in c. tanta 6 supra verb. repellendo ext. qui filij sunt legit. & in c. liberi. caus. 22. quæst. 4. Sneid. in Inst. de adopt. & h. t. in prim ord. succ. § 1. 10. 11. 1. h. t.*

XII.

Filij spirituales parentibus spiritualibus in nihilo succedunt, cū hoc jure nō reperiatur: sine lege autem loqui erubescimus. *c. consideremus 5. Nov. 18. de tri & sem.* Cui cum Panormitano *in d. c. tanta.* hanc rationem addimus, quod ista cognatio tantùm consistat in spiritu, ideoq; non debeat extendi ad bona temporalia exteriora. Et de jure Saxon. est *gloss in artic. 3. lib. 1.* das Schwägerschafft vnd Gefatterschafft hindern am Ehelichen Leben / fördern aber nicht zum Erbe *fac. l. affinitatis 7. C. comm. de success.*

XIII.

Filijs Naturales & legitimi simul, qui ex justis nuptiis, *Geil. 2. ob. 97.* seu legitimo matrimonio nati sunt, eheliche geborne Kinder. *l. filium eum definimus 6. ff. de his qui sunt sui,* primi gradus soli extantes, ut filij filiæve, parentibus ab intestato æqualiter succedunt in capita, exclusis omnibus ascendentibus, collateralibus & alijs quoq; descendētibus ulterioris gradus *Auth. in successionem, C. de suis & legit.*

XIV.

Succedere in Capita vocamus, quando hereditas secundum numerū personarum, quibus defertur, dividitur in tot æquales partes, quot sunt capita seu personæ & unus tantum habet, quātum alter, *l. 2. ff. §. 2. de suis & legit. Mynſ. h. t. § intestatorum num. 3.*

XV.

Succedunt autem liberi sine differentiâ sexus. *Nov. 118. §. c. 1. §. 3. l. h. t.* quod est verum in successione bonorum allodialium, non autem feudalium, quia fœminæ in feudis regulariter non succedunt. *tit. 1. 2. 3. tit. 8. §. si filiæ §. tit. 24. lib. 1. F. tit. 36. & tit. 50. lib. 2. F. Sneid. in I. num. 17. hoc tit. Borchold. c. 7. p. 2. num. 35. Arum. disp. 6. th. 12. Vult. lib. 1. de Feud. cap. 9. n. 27. Clariss. Hunnius disp. 7. feud. th. 1.*

XVI.

Nec tantum patri sed etiam matri suæ succedunt non solum de jure prætorio per bonorum possessionem unde cognati. *l. 2. ff. unde cognat.* sed etiam de jure civili per SCtum Orfitianum. *de quo in ff. & C. de SCt. Orfit. & l. si à matre. C. de suis & legit.*

XVII.

Quod jam dictum de filijs, idem ad nepotes extendimus. *§. 7. I. h. t.* hoc tamen moderamine & differentia, ut nepotes in stirpem succedant, id est, tantam partem accipiant de hereditate intestati, quantam eorum parens si viveret habuisset, quam successionem in stirpes appellitant. *l. 2. C. de suis & legit. d. Nov. 118. c. 1 d. §. 7. I. h. t. Mynſ. ad d. § intestatorum. h. t.*

XVIII.

Hic illam regulam, proximior in gradu remotiorem excludit, non admittimus, quæ in descendentium ordine locum non habet. *§. 6. I h. t. Nov. 118. c. si quis igitur vers. in hoc enim.* Quia ipsi nepotes in locum patris sui intrant, ejusq; personam repræsentant, *§ cum filius. I. h. t.* ideoq; fictione juris habentur in pari gradu cum filio defuncti patris. Quod jus dicitur jus repræsentationis, *secund. Angel. h. d. §. cum filius. Sneid. pag. 392. num. 1. 4. Mynſ. ad d. §. cum filius. num. 5.*

XIX.

Et hoc jus repræsentationis non solum locum habet in nepotibus ex filio, sed etiam in nepotibus ex filia, ut in stirpes non in capita succedant. *d. Nov. 118.* licet olim hoc secus esset, sicut & jam per totam Italiam statuta vigent, quæ extantibus masculis fœminas à successione ab intestato repellunt, ut refert *Nic. de ubald. in tract. de succeß. in pr. Anton. de Rosell. in tract. eod. num. 56.* Ut & in pronepotibus ex filio & filia hoc jus repræsentationis locum habet, cum in Infinitum sese extendat. *Forst. 4. de succ. 21.*

Borch

Borch in tract. de grad. pag. 186. Clariß. D. Gvilhel. Valent. Forst. Praeceptor noster colendus disp. 15. th. 5. & alij quos allegat Harpr. ad pr. I. h. t. num. 67.

XX.

Si autem quis moritur non relictis filiis primi gradus, sed pluribus nepotibus ex diversis filijs & filiabus præmortuis, qui diversi quidem sunt numeri, attamen in pari gradu, tunc nepotes soli [extantes] ex diversis filijs & filiabus, qui etiam diversi sunt numeri, succedunt avo non in capita sed in stirpes. *§. 6. & fin. I. h. t. l. 2. C. de su. & leg.* Quod juris etiam est in pronepotibus & ulterioribus descendentibus, si soli sint in pari gradu *§. cum filius, & §. item vetustas in fin. I. h. t.* sive in gradu inæquali, ut quia ex uno filio præmortuo supersunt tres nepotes, ex altero verò quinque nepotes, ex tertio tres pronepotes tunc jure repræsentationis pronepotes succedũt in locum sui patris, & cum nepotibus defuncti hereditatem in stirpes dividunt. *d. §. cum filius. d. Nov. 118. c. 1. fac. d. l. 2. §. 2. de su. & legit.*

XXI.

Quod si verò in successione maternâ concurrant filij primi & secundi matrimonij, quæritur hic, quomodo isti succedant? Resp. quod lucra nuptialia & reliqua commoda â primo viro provenientia ad filios primi gradus propriè spectant, *l. 3. l. 4. C. de secund. nupt. Auth. lucrum. C. d. t. Nov. 2. c. 1. Nov. 22. c. 25. Gotof. ad dd. ll. C. d. t.* Sicut pari ratione receptum est in filijs secundi vel tertij matrimonij *d. l. 3. & 4. C. de secund. nupt.* nisi hi hereditatis incapaces facti sunt. Atq; hæc, quæ dicta sunt de successione maternâ, etiam locum habent in patre ad secunda vota progrediente. *l. 3. C. de secund. nupt. Nov. 98. c. 1. Auth. uxore mortua C. d. t.*

XXII.

Addimus a. quod consanguinei fratres, qui ex eodem sunt patre procreati, in his bonis succedant, quæ sunt paterna, uterini verò, qui ex eâdem matre, sed diversis patribus nati sunt, in maternis tantum. *l. emancipatis. C. de legit. hered. l. fin. C. eod. Auth. itaq; mortuo. C. comm. de succ.* in reliquis bonis communiter partis ex æquo admittuntur. *Mynf. ad Rub. I. h. t. Dd. comm.*

XXIII.

Filiorum legitimorum tantum, qui sunt vel adoptivi vel arrogati, successio non est uniformis: adoptivi, qui secundum legem

legem tantum sunt filij *ut const. ex rub. ext. de cognat. legit ff. & C. & I. de adopt.* durante adoptione indistinctè patri adoptivo succedunt. *§ 2. I. d. t de adopt. l. pen. C. eod.* quod etiam verum est, si adoptans liberos ex justo matrimonio superstites relinquit; nam nihilominus adoptatus cum ijsdem ad partes viriles vocatur, *l. 5. C. de su & legit.* nec id mutat *Auth. verb. sola naturali C. eod. ut notat Forst. in tract de success pag. 127.* imò etiam hoc verum est, si adoptans patrem habeat sibi superstitem, *arg. §. 1. I. d. t.* nisi in fraudem parentũ adoptio facta sit, *arg. l. 1. C. de ineff. donat. Treutl. 16. disp. par. 2 th. 3.* Arrogati verò succedunt arrogatori ab intestato, sicut filij naturales & legitimi non solùm in illis bonis, quæ transtulit ad arrogatorem, sed etiam in omnibus bonis ipsius arrogantis, *l. pen § fi. C. de adopt.* Neuter tamen succedit in feudis patris adoptivi *c. adoptivus. si de feud. def. fuer. controv.* nisi arrogatus sit ab avo paterno, cui alias in feudo succederet, vel ità ab Imperatore fuisset concessa adoptatio, ut etiam adoptatus in feudo succedat, *Sneid. pag. 397.*

XXIV.

Liberi naturales tantum, ex concubinâ, cum qua esse potuit conjugium, procreati *ut dicitur in c. liberi. 15. caus. 32. q. 4. & gloss. in c. nisi cum pridem 10. super verb. Manzeres ext. de renunc.* deficientibus filiis naturalibus & legitimis, item uxore legitimâ in duas uncias succedunt, *Nov. 18. de trien. & semiss c. 5. auth. licet. C de natural. liber.* Nepos tamen legitimus filij naturalis tantùm non succedit avo, *l. fin. C. d. de natur. lib, Anton. de Rosell. in d. tract de succ. num 28.* Matri tamen & alijs ascendentibus per lineam maternam naturales tantùm æquè ac legitimi succedunt *§ novissime. I. de Scto. Orfit. l. hac parte. ff. unde cognati. l. si quis illustris. 5. in fin. C. ad Sctum. Orfit.*

XXV.

In liberis legitimatis distinguimus, ut legitimati per subsequens matrimonium cum reliquis ex justo matrimonio natis omninò succedant. *l 5. l. 10. C. de natur. lib. Treut. d disp. 16 th. 2. par. 2,* legitimati verò per rescriptum principis, quod hodiè etiam facere possunt comites Palatini ab Imperatore creati, si in specie id eis concessit, tunc demum admittuntur, si nulli ex justo conjugio liberi parenti supersint, *Auth. item sine C. de nat. lib. Nov. 89.* etiamsi non citatis ad hoc agnatis facta sit legitimatio. *Covar. p. 2. de matrim. c 8 § 9. n. 7. Grass. §. successio ab intestato. q. 19. num. 9.*

XXVI. Spu

XXVI.

Spurij à patre nihil hereditatis accipiunt, quia ne quidem patrem habere intelliguntur, unde ἀπάτορες dicuntur. *Gœdd in l. 42. ff. de V. S. l. 23. de stat. hom. arg. l. 5. de in jus. voc. §. pen. I. de nupt. l. 2. 4. ff. unde cog. Forst. in d. tract. c. de succ. spur. pag. 243. & seqq.* Si tamen statuto successio paterna ijs deferatur, eo casu, quo de patre quoad factum constat, putamus jure successuros, per ea quæ tradit *Palæot. de spur. c. 54. Bart. in l. hæredibus. §. 1. v. tamen ff. ad Trebell.* matri verò rectè ab intestato succedunt. *§. novißime. I. de SCto. orfit. l. hac parte. 2. ff. unde cog. l 1. §. sed & vulgo ff. ad Sc. Tertyll.* nisi persona illustris sit. *l. pen. C. ad orfit.*

XXVII.

Liberi ex damnato coitu nati, ut sunt adulterini, incestuosi, nefarij, omni successionis emolumento privantur, nec de jure civili alimenta illis debentur. *Nov. 74. & 89. auth. ex complexu. C. de incest. nupt. Palæot. d. tract. c. 34. Nicol. de Vbald. d. tract. num. 44.* Notandum autem si mulier per vim à cognato cognita ejusmodi filium enixa fuerit, cum hoc mitius esse agendum. *arg. l. 39. ff. ad Leg. Iul. Bald. in l. eam quam. C. de fideicom. l. vim passam. l. fœdißimam. C. de Adult.* Tantum de primo ordine utpote de descentibus.

XXIIX.

Sequitur ergo secundus ordo qui est Ascendentium & parentum *secund. Imprr. in d. Nov. 118. de her. ab intest. veni.* Deficiente enim lineâ descendente primùm mater & pater succedunt æqualiter. *d. Nov. 118. c. 2. Auth. defuncto C. ad SCtum Tertyll.* Quibus parentibus primi gradus non extantibus alij superiores admittantur, ut sunt avus & avia paterni & materni, *d. Nov.* qui si defuncto sunt in pari gradu, hæreditas inter eos æquis partibus dividitur, ità ut dimidiam habeant ascendentes ex lineâ paternâ, & alteram dimidiam partem, parentes ex lineâ maternâ sive unus sive plures supersint. *d. Nov. c. 2. ibi si igitur defunctus: & d. Auth. defuncto. Don. 9. com. 3.* alias proximior gradu remotiorem excludit. Unde est, quod avus maternus patruo in successione præferatur, quoniam gradu propior. *d. Auth. defuncto. l. 1. ff. de legit. tut.*

XXIX.

Quando defunctus verò reliquit ascendentes simul & col-

laterales, tunc cum defuncti parentibus cujuscunq; gradus succedunt, & fratres & sorores defuncti in capita, modò sint defuncto ex utroq; latere. *d. Auth. defuncto. d. Nov. 118. c. 2.* etiam avo & avia exclusis. *Anton. de Rosell. d. tract. hic num. 87. Oliv. text. tr. h. num. 77. Forst. lib. 3. de succ.* item fratrum & sororum prædefunctorum liberi, sed in stirpes. *Nov. 127. c. 1. Sneid. in 2. ord. succ. numer. 29.* Non verò nepotes, quia privilegium non extendendum contra mentem legis. *Authent. post fratres. C. de legit. Grass. d. §. quæst. 23. numer. 4.*

XXX.

Verùm ex uno latere tantùm conjuncti, ut nati ex uno patre, sed diversis matribus, qui consanguinei dicuntur, vel una matre, sed diversis patribus nati, qui uterini appellantur, & eorum liberi cum ascendentibus non succedunt. *text. est in d. Auth. defuncto, & in d. c. si igitur defunct. ibi, aut alij parentes omnibus &c. & ad pr. Nov. ut fratrum filij, ibi, hoc vero sancimus de illis fratris, quorum &c.*

XXXI.

Hic notandum est, quod parentes, si ad secunda matrimonia transgressi fuerint, hanc successionis prærogativam & commodum perdant, & in bonis quæsitis tantum usumfructum retineant, quamvis in cæteris bonis non ità profectitijs defuncto filio succedant. *l. fœminæ. 3. §. 1 l. generaliter. 5. C. de secundis nupt. Bart. & Azo in summ istius titul.* Nisi liberi consenserint. *Forst. d. libr. 3 p. 297. Geil. 2. observ. 98. num. 20.*

XXXII.

Et hæc in justis parentibus observantur; quomodo verò parentes spirituales, parentes legitimi tantùm, naturales tantùm, vulgò quæsiti, item parentes incestuosi liberis suis succedant, tenendum est, quod eadem jura, quæ in successione liberorum obtinere diximus, hic paria & correlativa esse. *Grass. in communib. opinion. §. successio. quæst. 29. Treutl. d. sp. 16. th. 4. lit. 1. Roland. Pass. d. tract. num. 27. Anton. de Rosell. tract. eod num. 16.* Hæc breviter de secundo ordine.

XXXIII.

Deficientibus jam ascendentibus & descendentibus tertius ordo succedit, utpote, collateralium: in quo præ cæteris fratres & sorores defuncto utrinq; conjuncti in capita, fratrum verò & sororum prædefunctorum liberi concurrentes cum illis

in

in stirpes succedunt. *Auth. cessante. C. de ~~suis &~~ feud. legit. Covarr. tr. h. con. lus. 8. num. 7.* De jure Saxonico vero secus est, ubi in collateralibus, quoad bona allodialia jus repræsentationis non observatur. Landr. *lib. 1. art. 5. & art 17 lib. 2. art. 12. gloss. in* Weichbilt. *art. 62. Nov. Elect. Aug. p. 3. const. 8 §.* Wir wollen aber Quod & usus observat. *adde Schurff. cons. 1. cent. 2. Reinh. p. 1. diff. 52.* quoad bona feudalia verò attenditur, si fratres simultanee sunt investiti Lehurecht. *c. 32. il. Pistor. 3. q. 23. in pr. q. 45. num. 2. Sneid. de 3. ord. succ. num. 25. VVesenb. cons. 13. num. 55. & cons. 82. num. 19.* Non existentibus autem fratribus fratrum liberi soli succedunt in capita. *d. Nov. 118. §. si igitur. vero sed ipsis Mynſ. 3 obs. 94. VVes. cons. 84. const Carol. V. in comit. Spirens. anno 1529.*

XXXIV.

Fratribus & Sororibus utrinq; conjunctis eorumq; liberis non existentibus proximi vocantur ad successionem ex uno latere conjuncti, eorumq; liberi. *Auth post. fratres. C. de legit. hered.* Ubi tamen distinguimus in bonis. Nam in paternis consanguinei soli, in maternis verò bonis solj uterini succedunt. *Nov. 84. c. 1. §. 1. & ibi gloss. verb. meliores. & ibid. Cujac.* Quibus simul deficientibus reliqui a latere cognati gradus ulterioris secundum gradus prærogativam vocantur in capita. *d. auth post fratres. C. de legit. hered. §. fin. I. h. l. 2. §. 2. de succ. & legit. Treutl d. 16. th 5 vol. 2.* & quidem in infinitum. *arg. d. l. 2. pr. puncto §. 1. de suis & legit. §. ceterum. I. de success. agnat. Nov. 118. c. 3. verb. omnes deinceps. Don. 9. com. 4.*

XXXV.

Fratres legitimi tantùm sibi invicem non succedunt, nisi ab ascendente fuerint adoptati, quoniam adoptio extranei hodie respectu successionis nihil operatur. *l. pen. C. de adopt. Sneid. h. de success. fratr. legit. tant.* Naturales verò tantùm, ut & vulgò quæsiti suis uterinis cum alijs existentibus legitimis succedunt. *§. vulgo. Inst. de succ. cognat.* si ex parte matris conjuncti sunt, *arg. l. si spurius. 4. ff. unde cogn. Covarr. in epit. 4. decret. pag. 2. c. 8. §. 5. num. 19.* at si ex parte patris sibi conjuncti agnatio vel cognatio de jure intercedit, *§. vulgo. Inst. de succ. cognat.* Nati ex damnato coitu nec patri nec matri, nec sibi succedunt: quia nullum jus sanguinitatis habere intelliguntur, nec liberi nominandi sunt. *Sneid. h. de success. fratr. incest.*

XXXVI.

Post prædictos modos tres succedendi ab intestato vulgares, hoc est, deficientibus descendentibus, ascendentibus & collateralibus, tandem ex edicto prætoris, qui per bonorum possessionem ad hereditatem conjuges vocat, *§. & primo. Inst. de bonor. possess.* sibi invicem & mutuò succedunt maritus & uxor, modò pactis dotalibus, quæ alias valent, quatenus non bonis moribus repugnant. *arg. tit. de pacto dotal.* vel loci consuetudine, aut statuto non diversum fuerit cautum. *arg. l. 9. ff. de l. & l.*

XXXVII.

Alias si matrimonium sine dote sit contractum, aut licet dos sit data, tamen modica & parva. *Sneid. de succ. int. vir. & uxor. num. 17.* & maritus defunctus dives fuerit, uxor verò superstes inops, tunc uxor marito unà cum liberis, si liberi sint tres, succedit in quartam, si verò sunt plures, in partem virilem. *Auth. præterea C. unde vir. Nov 53. c. 6. Nov. 117. c. 5. Treutl. disp. 16. p. 2. th. ult.* Et quod dicitur de uxore, idem & de marito inope dicendum, quando uxor præmoriens fuit dives, *gloss. & Dd. in d. Auth. præterea.*

XXXIIX.

Ultimò tandem accedit fisci successio, scilicet non extantibus legitimis heredibus, descendentibus scilicet, ascendentibus vel collateralibus, vel etiam conjuge. *l. 1 ff. de succ. edicto. l. vacantia. C. de bon. vac Don. 9. com. 2. Nicol. de Vbald. d. tract. de success. in fin. Matth. Matthæs. Rol. Passag. d. tract. in fin.*

XXXIX.

Excludit quoq; fiscus aliquando legitimos heredes, nempè si hereditatis facti fuerint incapaces propter crimen læsæ majestatis, perduellionis. *arg. l. 15. ff. qu. & à quib. man. l quisquis. 5. §. 8. C. & t.t. ff ad L. Iul maj.* Qui & olim jus habebat in bonis damnatorum præ cognatis, hodiè tamen non item. *t. t. de bon. damnat. Vult. lib. 1. de Iurisprud. Rom. c. 76.* excepto ut jam dictum crimine læsæ majestatis. *Treutl. disp. 16. th. ult.*

XL

Et sic quæ hactenus proposita de successione cujuscunq; ordinis heredum, vera adhuc statuimus, nisi statuta aliqua locorum huic nostro juri civili derogent, quoniam jura civilia sæpè mutari

ri vel consensu tacito populi vel alia posteà lege lata habemus. *§. sed naturalia. Inst. de jur. nat. gent. & civil. c. gener. de* R. I. *in sexto. l. 80. ff. de* R. I. *Sebast. Medic. in tract. de legib. & stat. per. 2. qu. 7. Aeg. l. 9. de* I. *&* I. *l. 32 ff. de legib.*

Problemata.

I.

An duorum vel plurium fratrum liberi, si soli extent, patruo suo succedant in capita? Aff.

Hotom. illust. quaestion. 14. Clariss Praecept. Forster. disp. 15. th. 9. Clariss. Hun. disp. Inst. 12. th. 12. Tess. decis. 162. Fachin. 6. contr. 3. Arum. exer. 11. J. thes. 12. Harp. ad pr. I. *b. num. 368.*

II.

An filius primogeniti mortui patruo secundo loco genito praeferatur & potior habeatur? Affir.

Myns. obs. 23. num. 6. Aur. bulla. Car. IV. expressè affirm. §. inter sollicitudines. Hotom. quaest. illust. 3. Forst. de succ. lib. 2. cap. 18. num. 15. Arum. exer. 11. th. 6. Bodin. lib. 6. de Rep. c. 5. Tholos. de Rep. lib. 7. c. 19.

 3. An

III.

An nepos, post mortem avi conceptus, ad ejus hereditatem admittatur? Aff.

Alciat. in l. 195. de V. S. Forst. in 1. cas. quo lib. à success. par. arc. p. 100 prior. edit. Diss. Dd. comm.

IV.

An cognati ulterioris gradus deficientib. fratrib. in infinitum succedant? Aff.

Donell. 9. Comm. 4. Forster, 3. de success. c. 10. Diß. Mynsing. ad §. Cæterum. Inst. de succeß. cogn. Schrader. de feudis p. 10. sect. 19. n. 44.

V.

An si probatum sit eum, quem mulier nominat, esse patrem filij, vir ille teneatur spurium alere? Neg.

De Jure civili. Tessaur. decis. 3. n. 7.

VI.

An pactio de futurâ successione regulariter à jure improbetur? Affir.

l. pactum quod dotali. 15. C. de pactis. l. hereditas. 5. C. de pact. conv. l. fin. C. de pact. ad quam Donell. Fach. 5. controv. 84. & 2. contr. 101. Gædd. in tract. de contrah. & comm. stipul. cap. 6, Conclus. 7. num. 60. cum multis seqq.

Ad

Ad Præstantissimum atq; Doctissimum

Dn. RESPONDENTEM

Amicum meum candidum.

LEges Themistæ, Michael Doctissime,
Pervolvere, & juris catenatos juvat
Solvisse nodos. Maxumè juvat, dabit
Fructus tibi prosperrimos, discernere
Ut & foriq; toriq; jura candida
Possis. Simul curvum videbis optimè
Rectumq;. Sic tibi labore pro tuo
Decusq; lausq; dant brabēia debita.

M. Ioannes Iacobus VVagnerus
Ulmens.

AD EUNDEM.

NON solùm Sophiæ studium veneraris amore,
Verum etiàm Themidos templa sacrata colis.
Hinc tecum ipsa Themis, tecum Tyrrhena Minerva
Versantur, tecum plaudit amœna Clio,
Hinc Pietas tecum, tecum sincera gubernat
Vis fidei, Michael, candor amorq; meus.
Hinc favet Aonidum tibi candida turba virorum,
Hinc Astræa tibi præmia digna parat.

Petrus Erasmi Holsatus Philos.
& Medicinæ studios.

FINIS.